



Svmma Juris Canonici

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,
pertinent

Agens De Rebus Ecclesiæ Sacris, & profanis, earumque usu, acquisitione,
conservatione, & alienatione

Strein, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1658

Titulus XV. De templis, & altatibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61834)

cum Diana tribuunt reo, qui effugiens manus satellitum miscet se, & adhæret personis, quæ associant Eucharistiam, quamvis non tangant Sacerdotem, vel hastam baldachini. Sed *Glossa in c. Quæsitum* non immeritò contradicit, quia privilegium ad non expressa extendi non debet. Fortè consultissimum est, in eiusmodi dubiis ad loci consuetudinem attendere.

XI. Iudex contra immunitatem ecclesiasticam delinquens iure civili crimine læsæ maiestatis irretitus, & ultimo supplicio puniendus est. *l. 2. & l. presenti. C. de*

his qui ad eccles. confug. l. ul. Clarus l. 5. r. cept. sent. p. 30. n. 1. Zerola Par. 2 V. immunitas. Silv. §. 3. ci. fin. Iure Canonico autem excommunicari debet, pæna pecuniaria multari, & ad publicam pœnitentiam adigi, nec ad communionem ecclesiæ admitti, nisi restituat ecclesiæ eum, quem per vim extraxit. c. Nullus. c. si qui contumax. c. Quisque 17 q. 4. Monet autem Decianus l. 6. c. 29. à prædictis pœnit. excusare causam, licet colorata sit, & consuetudinem, quæ iuri communi derogavit.

TITULUS XV.

De Templis, & Altaribus.

Templum ex carne & ossibus compositum rerum omnium opificem DEUM principio formasse *Polydor.*

Vergil. ait l. 5. de invent. rer. c. 6. quando scilicet primum hominem Adamum ex terra condidit: postmodum ex materiâ tabernaculum Deo positum esse à Moyse, ubi preces, & vota Deo exoluerentur, arcam, & tabulas lapideas custodiret. *Exodi 25. 26. & 27.* Equidem corpora nostra templum esse Spiritus Sancti Paulus Apostolus quoque monet non uno loco. *1 Cor. 3. 2 Cor. 6. V. 16.* Verum de illo nobis hic nulla quæstio erit, sed de materiali templo, seu structurâ, quæ domus DEI ab ipso Salvatore nuncupatur. *Matth. 21. V. 13. Ioan. 2. V. 16.*

§. I.

De edificatione Templorum.

I. **D**etemplo, seu domo in cultum divinæ maiestatis extruenda primò omnium, quod quidem nobis constat, sollicitum fuisse Davidem regem sacre literæ testantur. *l. 2 Reg. c. 7. & l. 1. parallelip. c. 17.* ubi sumptus quoque, & impensæ describuntur. Deus tamen piæ ipsius voluntatis executionem Davidi negatam in filium eius Salomonem transtulit, qui magnificè præstitit. *l. 3. Reg. c. 6. & seqq. Gigan. de crim. læsæ maj. c. 20. V. Salomonum Anno Mun. 3021. ubi num. 62. summam expensarum facit. 72. milliones, nongenta, viginti sex millia, sexcentos sexaginta sex aureos.*

II. Primi

II. Primi Christiani ad Verbum Dei audiendum, & Sacramenta percipienda in domibus privatis conveniebant propter horribiles persecutiones, ut hodieque in Angliâ, & Bataviâ, quin etiam in cypriis subterraneis, ut ex historia ecclesiastica liquet Non defuere tamen, qui diversis in locis templa & Oratoria conderent, quæ impiorum furor brevi subruit, quemadmodum. *Baron. in Annalibus suis notat Anno Chr. 57 & Bell. To. I. Controv. l. 3. c. 4.* Tandem sub Imperatore Constantino M. sublato pœnarum metu & facta potestate bona sua testamento relinquere in pios usus liberè, quicumque vellent, templa construxerunt ipsius Iustiniani exemplo permoti, qui non unam, sed plures Romæ, & alibi basilicas maximis impensis ædificavit; ut videre est apud *Baron. Anno Chr. 324. V. Franc. Leon. Par. 1. Thesauri eccles. c. 12. n. 12. Echem in Enchirid. tt. 32. & 33. Durantum l. 1. c. 2. & qua diximus Tit. 1. §. 1.*

III. Forma templorum communis olim fuit ad similitudinem crucis, habebatque in longitudine tres partes distinctas, Porticum, seu Vestibulum, Navim, sive atrium, ubi populus maneret, & Chorum clericalem, ubi altare maius pro Sacrificiis publicis. In uno latere custodia sacrarum vestium, quam Sacriltiam vocamus, in altero lacellum erat. Insuper templi frons Orientem respiciebat, tum quia optima mundi pars Oriens censetur, tum quia Christus in cruce pendens faciem occidenti obvertit, ut orantes conversa in Orientem vultu Christum quasi intueantur: tum denique ut ostendamus, nos lucem, ac puritatem mentis à Deo petere. *Belarm. l. 3. de cultu Sanctor. c. 3.* Addunt ali-

qui factum à primis Christianis, ut sese à Iudæorum ritibus separarent, qui ad occidentem versi orare solent, eò quod tabernaculum Moïsi ad occidentem dispositum esset. *Baron. A. C. 58. S. Thom. 22. q. 83. a. 3. Suar. l. 3. de Orat. c. 7. Paulinus ep. 12. ad severum Tertull. in Apolog. c. 16. Az. Tom. 11. l. 9. c. 3. Durantus l. 1. c. 3. & 14.*

IV. Maior Ecclesia per circuitum quadraginta passus (al. legunt 60.) capellæ verò, & minores ecclesiæ triginta passus habere debent. Ita antiquitus à SS. PP. constitutum esse *Nicol. Papa restatur in c. Sicut antiquitus 17. q. 4.* Vbi ex Isidoro notat *Barbosa*, passum continere quinque pedes, pedem verò quindecim digitos. Addit *Glo.* prædictum spatium non convenire capellis, quæ sunt intra ambitum castellarum propter loci angustiam. Sed de hoc ædium sacrarum spatio nullus est, qui hoc tempore curam ullam existimet habendam esse, sed quo modo extendere spatium, & luperare veterum limites queant, omni studio & conatu laborant.

V. Vt templum extruatur in locis non exemptis, requiritur auctoritas, & consensus episcopi, in exemptis verò summi Pontificis. *c. Nemo de consecr. Dist. 1. Nemo ecclesiam ædificet, antequam episcopus civitatis veniat, & ibidem crucem figat, publicè atrium designet, & ante præfignat, qui ædificare vult. quæ ad luminaria, ad custodiam, & ad stipendia custodum sufficiant. Consentit Auth. de ecclesiast. titulis. c. 7.* Si quis fabricare voluerit venerabile oratorium, aut monasterium, præcipimus, non aliter inchoari fabricam, nisi locorum sanctissimus episcopus orationem ibi fecerit, & venerabilem fixerit cru-

cem. Non est autem necessarium, ut episcopus, quod faciendum præscribitur, per seipsum præster; sufficit alteri demandasse, quemadmodum. *Glossa in citatum c. Nemo. annotavit. cui assentitur Selva de benef. par. 1. q. 6. num. 9. Quid si nolis, ais? Resp. Ad id cogi posse per Archiepiscopum, vel alium Superiorem, nisi rationabili causa munitus sit. c. Nullus de iure patron. ubi Panorm generatim. Vbi requiritur consensus unius in favorem, & gratiam alterius, si renuerit consentire absque legitimâ causâ, possumus superiorem adire, ut cogat eum ad consentiendum. *Az. l. cit. Piasce Par. 1. c. 5.**

VI. Non sufficere Episcopi consensum tacitum arbitratur Abbas in c. Cura de iure patron. Sed requiri explicitum, seu expressum. Quia nimirum in illis, quæ odiosa sunt, cuiusmodi censetur esse ius patroni, cum ecclesia pereû non maneat libera, non sufficit consensus tacitus. Sed ecclesiâ extruit cuius patrocinium relinquatur auctori, non sic grave & odiosum est, ut episcopi consensum impedire, aut retardare debeat. In bonum, & utilitatem ecclesiæ cedit, templa & oratoria erigi à laicis. Nam præter temporalem utilitatem, quæ eiusmodi loca sacra præstant, accedunt, & augetur fidelium pietas, & zelus ad conferendum bona sua in honorem DEI, & animarum salutem promovendam. Multò igitur probabilius videtur sufficere Episcopi qualiscunque cõsensu, etiam tacitus, ut si sciverit extrui domû sacri, & non contradixerit, cum facillè possit. *Rochus de iure patron. Selva de benef. par. 1. q. 6. n. 21. Zerola. Par. 1. V. Eccles. n. 3.*

VII. Dubitatur etiam, an sub initium ædificandæ domus, vel fundandæ adesse o-

porteat episcopi licentiam, & auctoritatem? Sufficere, si iam constructæ adiciat consensum auctoritate *Zabarella Cardinalis, Rochi, Curtii, & aliorum confirmat. Selva l. cit.* Neque id absurdum videri potest, cum omnium iudicio domum in profanos usus erectam episcopus in sacrâ convertere, & consecrare queat, secundum illud Archidiaconi in c. *Nemo de Consecr. Dist. 1.* Si quis ædificet domum non eo animo, & voluntate, ut ecclesia sit, potest episcopus eam in ecclesiâ convertere, & consecrare: quod admodum *Bonifac. IV.* Pantheon ab Agrippa omnibus Diis extructum consecravit in ecclesiam omnium Sanctorum, & alii Pontifices sana Gentilium in ecclesiâ commutantes diversis Sanctis cõsecraverunt, tentata etiâ, ubi fieri poterat annominatio. V. g. Apollinis in honore S. Apollinaris, Martii in honorem S. Martiales, vel Martini, Minervæ in honorem S. Maræ. *Bellarmin. l. 2. de cultu Sanctor. c. 4. §. Videtur Viscensis Durantus l. 1. c. 2. num. 4.*

VIII. In alieno solo in scio aut invito domino templum statuere de nõ suo, offerre victimam est, Deo ingratam, hominibus iniuriam. *Arg. c. Si servus D. 54.* Si autem contigerit, & loci dominus laicus eum sciret, nõ contradixerit, ecclesia manebit libera, nullo patronatus iure in laicum translato. Sibi enim impurare debet, qui non contradixit. Si domino fundi in scio constructa fuerit, erit quidem libera, sed qui extruxit, in demnem servare dominum tenetur. Ad idem tenebitur episcopus, si ponendo primum lapidem, vel postea cõsecrando ecclesiam negligent fuit in perquirenda veritate; ita ut damnum domino soli illatum integrè compensetur. *arg. c. Nemo de consecr. Dist. 1. & c. Comperimus 14. q. 3.* Quod

Quod si fundus alterius ecclesie, vel collegii ecclesiastici sit, ecclesia inibi constructa illi subiecta erit cum iure patronatus. *c. Quæsti sunt. 16. q. 4. & c. Apostolica 8. q. 1.*

IX. Novi templi auctor eidem deputate pro sustentatione ministrorum & aliis usibus dotem obligatus est. *c. Cum sicut de consecr. dist. 1. c. Placuit 1. q. 8. Aurb. de eccles. titulis c. Si quis autem.* De quantitate, & magnitudine dotis ambiguum iudicium est, propter diversitatem loci, temporis, necessitatis, personarum, & similitum. *In aurb. Vt nullus fabricet oratorii domos. Versic. Sancimus.* dicitur, requiri dotem, quæ sufficiat ad luminaria, custodiam domus, alimenta, & ad sacrum ministerium. Episcopus ergo pensatis omnibus determinabit, quantum pro temporis, loci, & aliarum circumstantiarum ratione sufficiat. Neque hic antiqui nobis Canones usui sunt, quia tempora, & non in illis mutati sumus. *Barb. Decis. Apost. num. 440. Piasecius Part. 1. c. 5. num. 1.* addens, si Episcopus ædificari ecclesiam sine dote permiserit, obligatum iri, ex tuo compensare. *c. Cum sicut citat. iun. Glo. iacob. de Graff. Par. 2. l. 2. c. 15. num. 9.*

X. Ecclesia restauratione indigens suo ipsius æte reparanda est, modò pro fabrica certam portionem assignatam habeat. *c. un. 10. q. 3.* Si minus sufficiens est, attributa quantitas, contribuet Rector, & qui in ea beneficium habent. *c. 1. de eccl. aedific. & c. Simonachus 16. q. 1.* His deficientibus Ordinarius, & Capitulum providebit. *c. un. de his, qua. fi. à mai. par. Capituli.* Denique ad consuetudinem flectendi oculi, quæ alicubi obtinuit, ut populus in

reparationem ecclesie conferat, quia illi ad percipiendum Sacramenta, & celestem doctrinam deservit. *Tholos. l. 2. Synod. c. 2. num. 12. Iac. de Graff. lo. cit. Armilla num. 9. V. quæ diximus in Par. 1. tit. 3. §. 3.*

XI. Deltruere vel in profanos usus convertere ecclesiam aut monasterium nefas. *c. Quoniam. 19. q. 3. & c. Quæsti sunt. 17. q. 4.* ubi excommunicationis pœna decernitur. *Roder. 11. q. 50. art. 6.* An verò, qui incendio vel alio modo malitiosè diruunt sacrata loca, sint ipso iure excommunicati, ambigitur? Summistæ passim affirmant eum. *Glo. in c. Tua de sentent. excom. Suarius V. D. 22. nu. 16.* ut probabilem sententiam agnoscit per *c. Conquesti:* quia incendiarii ecclesiarum revera sic effraçtores, & spoliatores earum. *Navarrus* autem Caetanum secutus nullum extare Canonem dicit, qui ecclesiarum incensores excommunicet, nec defendi posse contrariam opinionem, nisi per consuetudinem toleratam, & approbatam ab ecclesiarum Prælati. Idem tradit. *Avila de Censuris Par. 2. cap. 7. disp. 1. §. Dixi regulariter.* Cæterùm ecclesie quocunq; modo destructæ ligna & lapides ad privatos laicorum usus applicari non debent. *c. Ligna de Consecr. Dist. 1. Flo. in c. Quæ semel 19. q. 3. Fillint. Tract. 24. c. 9. n. 239.*

XII. Quæri solet, An destructâ ecclesiâ omnia illius privilegia extincta & & perdita sint? Innocentium secutus *Abbas in c. 2. de novi op. nunciat.* cum distinctione respondeat, si ecclesia Superiorum auctoritate & iussu destruat propter excessus clericorum, aliumve iustam causam, non posse amplius vocari Canonicas, aut clericos illius ecclesie, nec quicquam ex assignatis proventibus percipere;

cipere: si verò destructa fuerit hostili manu aliove illicito modo, cuncta privilegia remanere. Similiter, si in alium locum auctoritate Superioris transferatur, vel alteri alicui ecclesie uniatur, & privilegia, & Indulgentias perdurare. Idem de altari- bus dicendum, si fortè alium in locum intra eandem ecclesiam aliquod transfe- ratur, vel propter ruinam restauretur. At quamdiu manent diruta, Indulgentiæ, & privilegia quasi suspensa censentur. *Glo. inc. Statutum de el in 6. AZ. II. l. 9. c. 3. q. 13. Silv. V. Indulgentia q. 5 n. 7. Filliut. Tr. 8. c. 6. n. 134.*

Hinc sequitur destructionem ecclesie, eiusdem reparationem, vel loci mutatio- nem intra eandem non obesse altari- bus privilegiatis, cuiusmodi sunt pro libera- tione animarum ex purgatorio. Cum e- nim privilegium censetur ipsis suo modo impressum, comitatur in omnem locum, & angulum, quo migratior.

XIII. Ecclesiam sæcularem converti posse in regularem extra controversiam est: regularem convertere in sæcularem magis ambiguum, & arduum. Exempla tamen non desunt. Regulaciter verò, ait *Rodericus To. II. q. 50. ar. 6.* mutatio status ecclesie prohibita est in iure. *Andr. & Abb. inc. Inter quatuor. De relig. dom.* Unde monasterium seu locus religiosus hoc modo reformatur, ut si deficient reli- giosi alicuius monasterii, tumantur reli- giosi aliorum monasteriorum eiusdem ordinis: quibus deficientibus devenien- dum est ad regulares alterius ordinis, & in defectum omnium regularium mona- sterium ad sæcularitatem reducendum e- rit, in illoque clerici sæculares ordinari debebunt, iuxta ea quæ tradit *Ioan. Andr.*

& Abb. inc. Inter quatuor. de relig. domib. Et quando sic monasterium de licentiâ Papæ aut ordinarii adhibito fratrum consilio ad alium locum transfertur, ad- ditur clausula, ut ad profanos usus non redigatur: quam additionem conformem esse iuri testatur. *Mandosus. de signatura gratia tt. Translationes.* Et ipsa ecclesie exempta translata non perdit exemptio- nem, quam prius habebat; ut si civitas de- struatur, & alii cives subrogentur, gaude- bunt privilegiis priorum. *Ita Roderic. l. 1. c. 5. AZor To. II. l. 9. c. 3. q. 11.*

§. II.

De consecratione Ecclesiarum.

L Tab usibus profanis separentur templa, & ecclesie, consecran- dæ, vel benedicendæ sunt. *S. Thom. 22. q. 83. ar. 3.* quem sequuntur alii Theologi. Sicut enim non aliis, quàm sacra- ti domino Sacerdotes debent missas cantare, nec sacrificia super altare offerre; sic nec in aliis, quàm domino sacra- tis locis, id est, in tabernaculis divinis precibus à Pontifice delibutis missas cantare, aut sacrificia of- ferre licet. *c. Sicut Diff. 1. De Consecrat.* Munus consecrandi ad episcopum pertinet, episcopum proprium, dico. Nam extra diocæsin suam nulli licet ecclesiam consecrare. *c. Nemo. de consecr. dist. 1. c. Tua fraternitas. de consecr. Eccles. vel alt.* Quòd si ea tantum de- legari possunt, quæ iurisdictionis sunt, consequitur necessariò potestatem conse- crandi ecclesias episcopum delegare non posse, quia est actus ordinis. *c. Aqua de consecr. eccl. vel alt.* Prælati tamen Re- gulares ex indultu Papæ ecclesias benedi- cunt.

sunt. *Suar. IV. Diss. 81. Sect. 3. Tanner. IV. D. 5. quæst. 10. num. 17.*

II. Causæ consecrationis plures sunt. *Prima* quidem, ut effugentur inaligni Spiritus, quod illustri exemplo *S. Gregor. probat l. 3. Dial. c. 30.* & ob eandem causam, aqua, herbæ, sal & similia benedicuntur. *Secunda*, ut in illis velut DEO gratis oratoris afflictorum hominum preces & vota facilius admittantur. Quam ob causam *l. 3. Reg. c. 8.* Salomon dixit, ut sint oculi tui aperti super domum istam nocte, & die, ut exaudias orationem, quam orat in loco isto ad te servus tuus; ut exaudias deprecationem populi tui Israel, quodcunque oraverint in loco isto. *Tertia* causa est, ut representetur sanctificatio, quam per Christi passionem Ecclesia cōsecuta est, & noverimus sanctitatem requiri in illis, qui Sacramento Altaris suscipere cupiunt. *Quarta*, ut quod in templis, & altaribus visibiliter colitur, in nobis invisibiliter compleatur. Templū enim DEI sanctum est, quod estis vos. *3. ad Cor. 3. v. 17. In nobis, ait S. Bern. Sermon. 1. in Dedicat. Eccles. Spiritualiter impleri necesse est, qui in parietibus visibiliter præcesserunt. Durantus de ritib. Eccl. l. 1. c. 24. Jac. de Graff. part. 2. l. 2. c. 15. n. 15.*

III. Tempus quod attinet, licet feriæ non excludantur, nemini in dubium venire potest, quin diebus festis maxime conveniat Ecclesias consecrare. *c. tua fraternitas de consecr. Eccles. vel alt. ubi Innoc. III. Tornacensi Episcopo scribit.* In diocesi tua licet tibi Ecclesiis dedicationem impendere, tam diebus Dominicis, quam privatis. Cui conformiter *Piascius in par. 1. Praxis Episcop. c. 5. n. 2.* *Ædificata, inquit, Ecclesia consecratur quocunque die, sive*

festo, sive feriato; id que ab ipsomet Episcopo. Est enim actus ordini ipsius deputatus. Unde ipsum Episcopus non potest committere simplici Sacerdoti. *c. Aqua de consecr. Eccl. vel alt. Abb. Innoc. Off. Silv. V. Consecratio num. 2. Armilla num. 1. Iacob. de Graff. part. 2. l. 2. c. 15. n. 12.*

IV. In tribus casibus facienda consecratio est, quæmadmodum ex *c. proposuisti de consecr. Eccl. vel alt.* colligunt. *Primus* est, quando nascitur vel dubitatur, an unquam Ecclesia consecrata fuerit. *Fran. Leo part. 1. c. 5.* Cæterum an consecrata sit, cognosci potest vel ex scriptura, seu instrumento donationis, vel ex antiquis libris Ecclesiæ, vel ex columnis, saxo, aut tabula marmorea, aut crucibus in pariete expressis. *Barb. in c. proposuisti.* Creditur etiam testimonio unius testis de visu, vel auditu. *Piascius part. 1. c. 5. num. 4. Secundus*, quando incendio deformata est, ita ut parietes combusti, vel omnino abrasi fuerint, aut majori ex parte. Solius tecti absumptio non censetur sufficiens causa esse. *Tertius*, cum parietes omnino, vel eorum potissima pars concidit, ita ut oporteat eos denuò instaurare etiam ex ejusdem Ecclesiæ lapidibus. *c. de fabrica. de consecr. Dist. 1. Angel. V. Consecratio num. 3. Silv. ibid. n. 4. Rosella n. 2. Tabiena eod.*

V. Quid verò, si paulatim minuantur parietes, & per partes decidant, ac paulatim reparatur Ecclesia, faciendum sit, merito ambigitur, quia non adeò facile est discernere, an in prædicto casu eadem numero Ecclesia maneat? Eandem manere censeo. Sic enim navim quoque eandem credimus esse, quæ subinde corruptis tabulis reficitur substituendo alias. *l. quod in rerum ff. de legatis.* Civitas quoque, seu

vium congregatio eadem reputatur, quamvis in mortuorum locum alii per intervalla subrogentur. Verum adhuc quaestio manet Si ex intentione renovandi Ecclesiam unius paries post alium successivè destruat, & reedificetur, sic immutata videatur, ut denuò consecranda sit? Operantis intentionem proderit attendere. Nam si consilium ipsius est, omnes, aut ferè omnes partes reparare, adeoq; quasi novum ædificium construere, desinere priorem Ecclesiam, & quasi novam erigi iudicabimus. & erectam alià consecratione indigere. *Ang. n. 3. Arm. eod. Abb. in c. proposuisti n. 8. Barb. in c. Lineis. de Consecr. Eccl. & in Sum. Decis. Apost. Collect. 270. Layman. l. 5. tract. 4. c. 5. num. 15.*

VI. Omnes basilicæ, & templa cum Missa debent consecrari. *c. 3. de consecrat. Dist. 1.* Missam Episcopus ipse peraget: aut secundum Hugonem ejus loco presbyter. Si omnino negligatur, consecrationem non vitiat, ut DD. communiter tradunt. Ad majorem videlicet solennitatem, non verò ad substantiam necessaria est. *Gloss. in c. omnes de consecrat. Dist. 1. Azor. II. l. 9. c. 4. q. 2. Jacob. de Grass. par. 2. l. 2. cap. 15. nu. 7. Durandus l. 1. de ritib. c. 24.*

VII. Ecclesia reconcilianda, non denuò consecranda est, quando polluitur, seu violatur: quod contingit.

Primo per injuriosam sanguinis effusionem *c. proposuisti c. ult. de consecrat. Eccl. vel alt. & c. un. eod. in 6* Requiritur autem 1. ut unius infligatur existenti non in tecto, turri, aut loco subterraneo templi: fieri tamen potest, ut sanguis extra Ecclesiam fundatur, vel extra illam existat vulnerans. 2. ut factum notorium sit, juris, aut facti evidentiâ. 3. ut actus vulne-

rationis sit peccatum mortale. 4. ut effusio sanguinis fiat in notabili quantitate. In dubio Episcopus discernet.

Secundo violatur per homicidium notorium injuriosum, etiam sine sanguinis effusione. *c. cit. proposuisti.* Cæterum non requiritur, ut percussus in ipsa Ecclesia moriatur. Hæc enim impertinens censetur, ut inde patet, si foris vulneratus ad eam confugiens inibi moriatur. Quod dixi injuriosum, intellige homini, vel loco. Nam si reum Judex in Ecclesia mortis supplicio afficeret, violaretur. Idem dicendum, si seipsum quis in Ecclesia interficeret.

Tertio per illicitam & notoriam humani seminis effusionem. *c. ult. de consecrat. Eccl. & c. Ecclesiis de consecrat. Dist. 1.* Excipe casum necessitatis, si duo conjuges coacti inhabitare sese mutuo cognoscerent.

Quarto per sepulturam hominis excommunicati *c. cit. proposuisti* intelligi, de excommunicato publico, & denunciato, & notorio Clerici percussore. Quocirca si Lutheranus aliquis in templo Catholico sepeliatur, ut in nupero bello sapè accidit, non censetur propterea violatum. *arg. c. Sacris de sepult.* Idem dicendum de sepultura illius, qui specialiter interdictus est.

Quinto pollicetur per sepulturam hominis infidelis non baptizati. *c. Ecclesiam. l. 1. & 2. de consec. Dist. 1. licet infans esset.* Si tamen infans in utero extingueretur simul cum matre sepeliri potest, quia jam non duo, sed unum corpus censetur. *v. Sum. l. 3. de relig. c. 2. Azor. Tom. 1. l. 10. c. 26. Filiut. tract. 24. c. 9. num. 236.*

Sexto quando Ecclesia per Episcopum excom-

excommunicatum publicum consecra-
tur, aut benedicitur *arg. c. Consulisti de con-
secr. eccl. vel alt. Nav. c. 27. n. 258. Franc. Leo
par. 1. c. 5.* Alii tamen hoc nullo jure niti
putant apud *Laym. l. 5. tr. 5. c. 5. n. 9.*

VIII. Ecclesia violata cœmeterium illi
contiguum quoque violatum esse cen-
setur, ita, ut nullus in eo sepeliri possit,
tanquam in consecrato *c. un. de consecrat.
eccl. in 6. ubi Bonif. ius Papa.* Si Ecclesiam
pollui sanguinis effusione contingat, ip-
sius cœmeterium, si contiguum sit ei-
dem, censetur esse pollutum. Unde ante-
quam reconciliatum fuerit, non debet in
eo aliquis sepeliri. Secus, si remotum fue-
rit ab eadem. Non sic quoque in casu
converso sentimus, ut videlicet polluto
cœmeterio, quamvis Ecclesie contiguo
debeat Ecclesia reputari polluta, ne mi-
nus dignum majus, aut accessorium prin-
cipale ad se trahere videatur. Non unum,
sed plura cœmeteria esse noſcuntur, quæ
quamvis sibi cohærentia, pariete tamen
medio se junguntur. Ideoque violato eo-
rum altero alterum (licet de uno ad aliud
per portam inter mediam habeatur ac-
cessus) non propter hoc reputabitur vio-
latum. Ita *Bonif. V. Laym. l. 5. tr. 5. c. 5. n. xi.
Tanner. IV. Disp. 5. q. 10. n. 31.*

IX. In modo reconciliandi differentia
est, cum Ecclesia etiam non consecrata,
polluatur. Reconciliatio consecrate fie-
ri debet ab Episcopo cum aqua benedi-
cta ab ipso vel alio Episcopo: non con-
secrata verò potest fieri à solo presbyte-
ro, cum aqua à seipso benedicta cum sale
vino & cinere. *c. aqua de consecr. Eccl. Ioan.
Andr. Anchar. Carrdin. & Panorm. apud
Navar. c. 27. n. 256. Franc. Leo l. cit. Prælatos
regulares quoque reconciliare proprias
Ecclesias posse aquâ vel ab Episcopo, vel*

à seipsis benedicta, Episcopo per dua-
diatas absente, diximus in *part. 1. tr. 16. §. 3.*
Quin etiam ex commissione Episcopi
Ecclesiam consecratam à simplici pres-
bytero reconciliari affirmat *Emm. Sa. V.
Ecclesia n. 20.* cui assensum præbere non
audet *Diana part. 2. tr. 15. resol.* Et hæc de
Ecclesiis & cœmeteriis benedictis vel cõ-
secratis tantum intelligenda sunt. Orato-
ria, aliave loca pia nisi aut benedicta aut
consecrata sint, nec polluuntur, nec ut
reconcilientur, opus habent. *Arnt. l. 1. V.
Eccl. n. 8. Henriq. l. 9. c. 27. n. 6. Nav. l. 3. Consi.
1. de consecr. Eccl. Laym. l. cit. num. 12.*

X. Polluta Ecclesia illius omnia altaria
fixa censentur simul polluta. Similiter al-
tari polluto totum Ecclesie corpus pol-
lutum censetur. At verò, si corruptis pa-
rietibus aut muris Ecclesia putetur exe-
crata esse, ut denuò consecrari debeat,
non propterea altaria quoque aliàs in-
corrupta consecratione indigent, aut re-
conciliatione. Pari modo reliquæ Eccle-
sie nihil oberit, si per insignem fractu-
ram, aut læsionem altare amiserit conse-
crationem. *Azor Tom II. l. 10. c. 27. qu. 14.
Silv. quest. 15. Laym. l. cit. num. 27.*

NOTA. Non eadem est ratio Ecclesie
consecrate & benedictæ tantum. Bene-
dictio enim censetur non parietibus, sed
solo tantum inhære: & eaque propter
benedicta manet etiam corruptis parie-
tibus. *Tann. l. cit. num. 40.*

XI. Si sub ipso Missæ sacrificio, ante-
quam ea non inchoatus est, contingit
Ecclesiam violari, cessare Sacerdos: post
inchoatū verò Canonē prosequi debet.
Neq; enim cū hostia jam parata sit, deest
immolationē emittere, vel imperfectam
relinquere. Quid verò, inquit in Ecclesia
polluta

polluta si quis bona fide celebret, nunquid pro reconciliata habeatur, ita ut nova reconciliatione non indigeat? Ref. minimè. Nam si id fieri potest ab eo, qui bona fide sacrificium peragit, etiam de eo affirmandum erit, qui mala fide agit: de eo item, qui cum dispensatione in casu necessitatis missam in illa legit. *S. Thom. q. 83. art. 3. Sotus in 4. dist. 13. q. 2. art. 3. Avila P. 5. D. 7. Dub. 3. Contrarium tamen Alfonso Castro docet l. 2. de lege pœn. c. ultimo & Em. Sa V. Ecclesia num. 19. Sed absque fundamento.*

XII. Finge, præter casus num. 7. enumeratos enorme aliquid in Ecclesia fieri, v. gr. rixam cum clamore, verberibus, & fractione membrorum, equi introducuntur, concio ab hæreticis instituitur, annon pro execrata habeatur? *Abbas in c. proposuisti de consecr. Eccl. num. 4. tradit, quorundam locorum consuetudinem esse, ut ejusmodi casibus Sacerdos aqua à se benedicta Episcopi jussu Ecclesiam lavet: quod etiam Durandus approbat l. 1. Rationalis c. 6 num. 41. Nec video, cur à quopiam reprehendatur. Si qua Ecclesia multo tempore à Sectariis, uti sunt Lutherani nostri, occupata recipiatur, conveniens erit ab Episcopo altaria visitari, & cognosci num fracta sint, tum si integra fuerint, aqua lustrali à se benedicta conspergi cum aliis templi partibus, vel id negotii alteri cuiquam Sacerdoti committere. *Layman l. 5. tract. 5 c. 5. num. 14. Eadem cura sacris ipsis debetur: ne forte veris Sanctorum reliquiis adulterinè ab hæreticis suppositæ colantur.**

XIII. Dubium est, quam pœnam incurrat, in Ecclesia polluta missam legens? Ostiensis tradit irregularem fieri; Abbas

verò ab ingressu Ecclesiæ suspensum. Utrumque arguit manifesta decisio capituli. *18. de sent. excom. in 6. Is, qui in Ecclesia sanguinis, aut seminis effusione polluta scienter celebrare præsumit, licet in hoc temerariò agat, irregularitatis tamen, (cùm id non sit expressum in jure) laqueum non incurrit. Superest ergò, ut pro qualitate culpæ, temeritatis aut etiam scandali pœna arbitraria ab Episcopo puniatur. *Gemin. Ioan. Andr. Ancher. Virvianus. Alagona, & alii ap. Barb. in c. cir. Silv. V. Consecratio num. 9. Suarez IV. Diss. 80. Sect. 4. Em. Sa V. Ecclesia num. 21. Navar. 6. 25 num. 83. Tanner. IV. Diss. 5. quæst. 10. Dub. 2. num. 19.**

§. III.

De Altaribus.

I. **A**ltare, quasi alta ara dicitur ab altitudine, quia veteres olim Diis superis in ædificiis à terra exaltatis sacra faciebant: Diis terrestribus in terra, Diis inferis effossa humo. *Rosinus l. 2. antiquit. Roman. c. 2. Servius ab ariditate aras derivat, quod in illis adoleatur ignis, quare faciendi vim habet. Isidorus verò ab ardendo, quòd in aris victimæ ardeant. Dixeris melius, aram dici quasi aream, quòd æquè pura esse debeat. In Ecclesia Christi fidelium aras nomen habere à purissimo & incruento sacrificio docet Nazianz in Orat. 4. contra Iulianum. Denique Varro anfas primò, postmodum aras dictas esse confirmat, eò quòd orantes manibus tenerent, & apprehenderet. Unde Virgil. l. 4. Æn. Talibus orantem dictis, arasque tenentem. Tholoson. l. 2. Syntagm. c. 1. num. 6. Durandus l. 1. de ritibus Eccles.*

Eccl. c. 15. Filiut. tract. 5. c. 4. num. 119.

II. Altare aliud est mobile, uno, non duobus lapidibus constans *Silv. n. 3.* quod etiam viaticum, & portatile nuncupatur *c. ult. de privil. in 6.* ubi Episcopis ab Ecclesia sua frequenter absentibus conceditur facultas habendi altare viaticum, inq; eo celebrandi. Idem posse ubique locorum Regulares affirmat Diana. Privilegium Societate nostræ à Greg. XIII. concessum, ubique gentium, etiam in castris militū, modò loca tuta, & honesta sint, altaris viatici ulum agnoscat. *V. Compend. in V. Alt. Barb. in Decis. Apost. Coll. 169.* Aliud est immobile, fixū, & stabile, ut passim in templis videmus. Hoc consecrationem amittere creditur, quando superior lapis ab inferiori parte tollitur. *c. Ligneis. de consec. Eccl.* Nam ut *Glossa* ait consecratio præcipue consistit, in conjunctione lapidis & inferioris structuræ. Quod si ita frangatur mobile, seu immobile altare, ut in nulla integra parte Calix non patena insistere queat, consecratio perit. Item, si lapis sigilli amoveatur à reliqua structura, vel reliquiæ tollantur. *Silv. V. altare n. 6. & seq. Az. l. 1. l. 10. c. 27. q. 12. Zer. V. alt. n. 6. lac. de Graff. P. 2. l. 2. c. 15. n. 15. Piasse. par. 1. c. 5. n. 8. Barb. in c. altaria si non de consec. D. 1. & l. 2. de jure Eccl. c. 7. Thol. lo. cit. n. 17.*

III. Ut missæ sacrificium offerri possit, altare ab Episcopo consecrandum est. *c. altaria de Conse. Dist. 1. S. Aug. serm. 255. S. Leo 1. epist. 88. alias 92.* ubi loquens de Choro, repiscopis, & presbyteris. Siquidem, ait, nec erigere illis altaria, nec Ecclesias, vel altaria consecrare licet. *Bellarmin. l. 1. de Cler. c. 14. Arm. n. 5. DIXI ab Episcopo consecrandū,* intellige, nisi aliis per privilegiū permittatur. Nam *Leo X. fratribus S. Franc. Min.*

pro Indiarum partibus, & *Paulus III* presbyteris Societatis Jesu concessit, ut in locis remotissimis infidelium, ubi Episcoporum copia non habetur, possint altaria consecrare. *V. Comp. privil. & Roder. To. 1. q. 28. art. 2.* Idem privilegium ab Innoc. VIII. Generali Cisterciensium & quatuor primariis Abbatibus indultum esse meminimus in *par. 1. tr. de Abb. s. 3.* Unde colligitur necessario, Juris tantum positivi esse, ut altaria ab Episcopis consecrentur: item quod ex lapidibus altaria construatur. Olim quippe lignea fuisse historia Ecclesiastica docet. & servatum est à *Silvest. Papa* ligneum, in quo *S. Petrus* sacrificii asse creditur. *S. Tho. q. 83. a. 3. Laym. l. 5. tr. 5. c. 6. n. 1. Suar. 111. Diss. 81. Sect. 5. Silv. V. altare num. 1. Rosella, & alii Summ. eod.*

IV. Dubium est, an in quolibet altari necessarium sit sigillum, in quo Sanctorum reliquiæ contineantur? Affirmant Canonistæ ex *c. placuit de consec. Dist. 1.* Negant verò Theologi Scholastici, inter quos *Dominicus Soto* in *4. Dist. 13. q. 2. ar. 3. Fran. Suar. To. 111. Diss. 81. Sect. 5. Ag. Con. mc. & alii*, quibus non pudet subscribere. Et enim *c. placuit*, cujus auctoritate Canonistæ nituntur, aliud nõ vult, quàm ne templa consecrentur sine sacris reliquiis, idq; propter hæresin Iconoclastarum. Item, ne acceptetur ulla memoria martyrum, nisi aut ibi corpus, aut aliqua certæ reliquiæ sint, aut ubi origo alicujus habitationis, vel possessionis fidelissima origine tradatur. Nihilominus pia consuetudine nunc receptum est, ut omnibus altaribus fixis, & non fixis certæ reliquiæ includantur, cujus rei gratia Sacerdos in Missæ introitu dicit. *Oramus te Domine, per meritum Sanctorum tuorum, quorum reliquæ hic sunt.*

Z z z

Quia

Quia tamen impossibilium nulla obligatio est, nil obstat, quo minus altaria consecrentur, sine appositione reliquiarum; quod ex Rubrica Antiquorum Missaliū Angelus in *V. altare* num. 3. confirmat, ubi dicitur, si reliquiae non adfuerint orationem illam *Oramus te &c.* omittendam esse. Neque illarum loco substituendum esse corpus Christi Innocentius Papa ab Ostiensi consultus respondit. Non enim consecratur, ut abscondatur, sed ut pro spirituali cibo animabus seruiat. *Io. Andr. Abb. & alii apud Azor l. 1 c. 27. q. 9. Eman. Sa. V. altare Armilla num. 5. Reginald. l. 29. n. 190. Fill tract. 5. c. 4. n. 121. Coninck de Sacram. quest. 83. de ritu Vener. Sacram. art. 3. Dub. 2. num. 41.*

V. Quod Zerola ait. *part. 1 V. altare. n. 10.* altaria, quae reperiuntur in quibusdam Capellis per agros & vias, debere per Episcopos subverti ex decreto *Con. Carthagin. c. 14.* non de quibuslibet accipiendum est, sed de illis, quae cum destituta sint veris reliquiis, & approbatione Ordinarii, occasionem erroris & falsae pietatis populo subministrant. Sic enim citatum Conc. loquitur in *c. placuit de consecr. Dist. 1.* Altaria, in quibus nullum corpus, aut reliquiae martyrum conditae probantur ab Episcopis, si fieri potest, evertantur; vel plebs admoneatur, ne illa loca frequentent, ut qui recta sapiunt, nulla ibi superstitione devincti teneantur. Glossa quoque ibidem refert, quosdam propter somnia, & inanes causas construere solitos altaria in agris, & villis absque ullis reliquiis, quem ab usum sacris Canonibus invisum ut ex num. praeced. patet, tollere Concilium voluerit. *Armill. num. 6. Coninck lo. cit.*

VI. De altaribus privilegiatis pro animarum ex purgatorii poenis liberatione quaestionem movet *Fran. Leo in thesau. fœri Eccl. c. 7 num. 31* nunquid celebrata missa in aliquo illorum pro Joanne defuncto, sequatur, ut ejus anima quae in purgatorio est, liberetur? & directe non solvit, sed supponendo viventium orationes, & suffragia duobus modis prodesse in purgatorio detentis, consolando nimirum, & satisfaciendo, ait, priore modo contingere posse ut plus aliis, quam Joanni conducant, posteriore autem secundum intentionem, & affectum applicationem, & statum illorum quibus applicantur prodesse. Quod ita generaliter dictum consonat quidem doctrinae Catholicorum Theologorum; sed dubium propositum non tollit, an Joannis anima liberetur ex purgatorio, quando pro ea in altari privilegiato missa offertur? Quamobrem petenda aliunde solutio erit. Et mihi nunc quidem in mentem venit illud, quod de Sabbatina Indulgentia jam pridem à Sede Apost. determinatum legi, *Pium est credere*: nec aliud quicquam in ejusmodi quaestis, quae ad voluntatem potius, & affectum, quam intellectum pertinent, requirendum existimo. De sacris vestibus Ecclesiae, & Sacerdotum vltui nec stariis, quomodo consecrandae, à profanis usibus separandae, & tandem propter vetustatem cremandae sint, *V. Iacob. de Grass. part. 2. l. 2. c. 15. num. 23 & 24. Turrecrem. in c. Concedimus num. 5. de Consecrat. Dist. 1. Silv. V. Consecratio & V. Vestis Armilla. eod. Filliut. tract. 5. c. 4. num. 124. & sequi. Coninck lo. cit. Tanner IV. Disp. 5. q. 10. n. 39.*